Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36539
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Expectatio iustorum letitia: spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via domini: et pauor his qui operantur malum. Iustus in eternum non commouebitur: impii autem non habitabunt in terra. Os iusti parturiet sapientiam: lingua prauorum peribit. Labia iusti considerant placita: os impiorum perversa. Simplicitas iustorum diriget eos: et supplantatio peruersorum vastabit illos. Iustitia rectorum liberabit eos: et in insidiis suis capientur iniqui. Iustus de angustia liberatus est: et tradetur impius pro eo. Simulatores ore decipiunt amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. In bonis iustorum exaltabitur ciuitas: et in perditione impiorum erit laudatio. In benedictione iustorum exaltabitur ciuitas. G. Iustus gemmabit sicut lilium. Et florebit iustus germinabit. S. Marcum.

Iubilate. Misit herodes ad tenuit iohem et uinxit eum in carcere propter herodiadem uxorem philippi fratris sui: quia duxerat eam. Dicebat enim iohanes herodi. Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi: et uolebat occidere eum: nec poterat. Herodes autem metuebat iohem: sciens eum uirum iustum: et sanctum et custodiebat eum. Et audito eo multa faciebat: et libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset: natali suo herodes fecit cenam principibus et tribunis et primis galilee. Cum quo intrasset filia ipsius herodiadis et saltasset et placuisset herodi simul cum discumbentibus: rex ait puelle. Pete a me quod uis: et dabo tibi. Et iurauit illi: quia quod cumque petieris dabo tibi licet dimidium regni mei. Que cum exisset: dixit matri sue. Quid petam? at illa dixit. Caput iohis baptiste. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem: petiuit dicens. Volo ut protinus des mihi in disco: caput iohis baptiste. Et contristatus est rex. Propter iusiurandum autem et propter simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso confestim spiculatore. precepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere: et attulit caput eius in disco et dedit illud puelle et puella dedit matri sue. Quo audito discipuli eius uenerunt et tulerunt corpus eius et posuerunt illud in monumento. Off. Iustus ut palma. S. C.

Munera quesumus domine oblata sanctifica: et intercedente beato iohe baptista nos hec a peccatorum meorum maculis emunda. Per. Co. Tu puer. Ipsa. Co.

Sancti iohis baptiste oratio nos quesumus domine adsequi faciat semper mente que gerimus: et debite sumptionis actione perficiat. Per Sabine

Cognoui domine iuginis.